

1482 præsenti operi intentos Sigismundus Æstensis , Nico-
laus Corregianus , & Hugo Severinas , aliique non-
nulli viri illustres cum tribus & amplius hominum
millibus ex Argentia oppido repente impetum fecere ;
ac primo in Andreæ Burgenis stationem irrupere , ubi
nonnihil a Venetis primo congressu est laboratum .
Inde vero , ubi hostem adesse cognitum est , sumptis
repente armis , ferociter Venetus in pugnam ruit .
Objecerat Æstensis venienti illi quatuor currus , qua-
ternas singulos machinas habentes . Atrox hic prælium
inter hostes & navales socios coortum erat , multi-
que jam ex utraque parte cadebant , dum trecenti
*Sigismundus Æstensis & Hugo Severinas ad Argentiam a Vi-
etore Superantio prælio victi.*
Peloponnesiaci equites , qui cum Veneto venerant ,
paululum circumvecti , ut hostem pugnæ intentum cir-
cumfisterent , tantum a latere conspecti terrorem Her-
culanis injecere , ut subito Sigismundus & alii duces
terrati fugam moliti cœperint . Valaresia ad hæc tri-
remis jam aquas , quas hostis a tergo habebat , su-
bito tumultu infederat . Quo cognito , quum jam
Æstenses circumventos se vidissent , a prælio in fu-
gam versi , alii alio diffugere conantur : Sigismundus
celerrimo equo usus , præcipiti fuga Argentiam pene
solus abiit . Multi , qui metu se præcipites in aquas
dedere , vi fluminis victi perierunt , multi quoque
ferro absulti , plurimi deditione facta in Victoris
potestate venere . Ingentem victoriam ac valde me-
morabilem eo die Superantius est adeptus , nam præ-
ter Hugonem Severinatem & alios circiter septuaginta
armorum ductores , quos classis imperator Venetas
captivos misit , ducentas & amplius cassides cataphra-
cto hosti ademptas (quod eximii trophæi speciem præ-
buit) publico loco suspendit .

Republica ad Argentiam pulchre gesta , Severinas ,
ut & ipse facinus aliquod præclarum ederet , in Fer-
rariensem agrum transfire statuit : pontem ex galeo-
nibus , quos ad hoc ipsum demoliri fecerat , subito
construi mandat , datque Bassano Veronensi id nego-
cium :